


# ITINERA LITTERARIA IN CHRONONAVE



composuit

IARCIUS GADITANUS

# CONSCENDITE<sup>1</sup> VEHICULUM TEMPORIS!

lingua Latīna non est antīqua tantum. homines docti<sup>2</sup> per saecula<sup>3</sup> aliquando<sup>4</sup> Latīne<sup>5</sup> scribunt et immo loquuntur<sup>6</sup> inter se.

si id vehiculum conscendimus, per saecula ire possumus, et vidēre possumus libros Latīne scriptos de multis disciplīnis<sup>7</sup>:



1. **conscendo** (*conscendere*) est verbum temporāle ut ascendo (ascendere). "Quintus in arborem ascendit", sed "Quintus vehiculum conscendit". forma "conscendite" indicat imperatīvum.
2. homo **doctus** est is qui doctrīnam habet. doctus, docta, (adiectīvum)
3. **saeculum** centum anni sunt. saeculum, saeculi, n.
4. **aliquando** est adverbium quod significat: "aliquo tempore".
5. Latīnē est adverbium quod significat: "linguā Latīnā"
6. **loquor** (*loqui*) est verbum temporāle tertiae coniugatiōnis quod habet formam passīvam sed significātum actīvum. hoc enim verbum significat: 'dicere'.
7. **disciplīnae** sunt, inter alias, hae: grammatica, litteratūra, mathematica, philosophia, historia, physica...

## I. PRIMUM ITER<sup>1</sup>

virum natiōne<sup>2</sup> Anglum<sup>3</sup> visimus<sup>4</sup>, cui nomen est :

John Owen (Iohannes Audoenus, 1564-1622). Iohannes Owen carmen (epigramma) scribit ad amīcum suum Ponticum.



Ad Ponticum<sup>5</sup>

"saepe rogas, "-quot habes annos?" respondeo: "-Nullos."  
"-quomodo?" "-quos habui, Pontice, non habeo."

1. **iter**, itineris, substantivum neutrum quod significat *viam*. Medus viā Latīnā Tusculō Romam it, ergo Medus iter facit.
2. **natio**, natiōnis: subst. femin. quod significat *patriam*
3. **Anglus** est vir qui natus est in Angliā, quae nostrō tempore nominātur *England*. Anglus, Angla, (adiectīvum)
4. **viso**, (visere) est verbum temporāle tertiae coniugatiōnis, quod significat: *ire ad aliquem et eum vidēre*.
5. **Ponticus**, -i, m. est amīcus Iohannis Owen.

## II. ALTERUM ITER:

feminam doctam visimus, cui nomen est :

Heloisa, quae nata est circa<sup>1</sup> annum 1100<sup>um</sup>, est discipula, amīca et uxor<sup>3</sup> Petri Abaelardi. mortua autem est annō 1163<sup>o</sup>.



Heloisa epistolam scrībit ad virum suum Abaelardum. ecce initium epistolae:

**"Dominō suō, immo patri; coniugi<sup>3</sup> suō, immo fratri; ancilla sua, immo filia; ipsius uxor, immo soror, Abaelardo Heloysa."** ...(salūtem dicit)

1. **circa** est praepositio accusatīva : *circum*
2. **uxor**, *uxōris* est femina alicuius viri. *Iulius est vir Aemiliae. Aemilia est uxor Iulii.*
3. **coniux**, *coniugis* est vir aut femina in matrimoniō.

## III. TERTIUM ITER:

scriptōrem Romānum visimus cui nomen est Marcus Valerius Martiālis, qui est Hispānus. is enim natus est circa annum 40<sup>um</sup>, et mortuus est circa annum 104<sup>um</sup>.

poeta enim scrībit parvum carmen (epigramma):

**'nuper<sup>1</sup> erat medicus, nunc est vespillo<sup>2</sup> Diaulus,  
quod vespillo facit, fecerat<sup>3</sup> et medicus'**



1. **nuper** est adverbium, quod significat: *'paulo antē.*
2. **vespillo**, *vespillōnis*, subst. m., est vir qui sepelit corpora mortua.
3. **fecerat** est tempus praeteritum plusquamperfectum modi indicatīvi verbi : *facio (facere).*

#### IV. QUARTUM ITER:

rursus pervenimus ad *Medium Aevum*, quod dicitur, et alumnus adolescentem<sup>1</sup> visimus qui pulchrum carmen scribit:

quod carmen numeratur inter *Carmina Burana* saeculo XIII<sup>o</sup> scripta:



« feror<sup>2</sup> ego veluti<sup>3</sup> sine nautā navis,  
ut per vias aeris vaga<sup>4</sup> fertur avis;  
non me tenent vincula, non me tenet clavis<sup>5</sup> »

1. *adolescens, adolescentis*, subst. m. est qui iam non est puer aut puella, neque est adultus.
2. *feror* est verbum temporale: 'fero', sed voce passivā.
3. *veluti* est particula: *ut*.
4. *vagus, vaga, vagum* est adiectivum et significat: qui errat. 'nigra ovis per silvam errat. vaga ovis errat in silvā.'
5. *clavis*, -is, subst. fem. est instrumentum quō ostium aperitur.

#### V. QUINTUM ITER:

philosophum visimus natione Gallum<sup>1</sup> cui nomen est Renatus Cartesius (René Descartes). is enim natus est annō 1596<sup>o</sup> et mortuus est anno 1650<sup>o</sup>.

videte Renatum Cartesium qui scribit *meditationes de primā philosophiā*<sup>2</sup>:



"suppono<sup>3</sup> igitur omnia quae video falsa esse...quid igitur erit<sup>4</sup> verum<sup>5</sup>?  
fortassis<sup>6</sup> hoc unum, nihil esse certū.<sup>7</sup>"

1. *Gallus* est vir qui natus est in Galliā, quae nostrō tempore *France* nominatur. *Gallus, Galla*...adiectivum est.
2. *prima philosophia* est ea quam vocamus metaphysicam.
3. *suppono, (supponere)* est verbum temporale quod significat: *credere*. (credo, credere)
4. *erit* est tempus futurum verbi *sum, (esse)*
5. *verum, -i*, subst. n., contrarium est: *falsum*.
6. *fortassis*: fortasse.
7. *certum, -i*, subst. n., quod dubitari non potest.

## VI. SEXTUM ITER:

ecce rursus in antiquis temporibus sumus! et poetam Romanum videmus qui pulchram feminam deperit<sup>1</sup>. poeta ille vocatur Caius Valerius Catullus, qui natus est circa annum 87<sup>um</sup>, mortuus autem est circa annum 54<sup>um</sup> ante Christum natum. Catullus, amore captus, amicam suam vocat et ei carmen canere incipit<sup>2</sup> :



ecce Lesbia, quae Catulli carmen audit...

**"iucundum<sup>3</sup>, mea vita, mihi propōnis<sup>4</sup> amōrem  
hunc nostrum inter nos perpetuumque fore<sup>5</sup>...."**

1. **depereo** (deperire) est verbum compositum...de-per-eo (eo, ire). deperire aliquem significat permultum amare aliquem et sentire hoc: "mortuus videor nisi me amat"
2. **incipit** sibi vult *initium facere*.
3. **iucundus**-a-um : *laetus-a-um*
4. **propōnis** (propōno, propōnere) : *ostendis, monstras...*
5. **fore** est tempus futurum infinitivi verbi "esse"



Caius Valerius Catullus

## VII. SEPTIMUM ITER :

hodie visimus illustrem virum scientificum qui de gravitate tractatum scribit :

is enim vir nominatur Isaac Newton, natione Anglus. natus est anno 1642<sup>o</sup> et mortuus est anno 1727<sup>o</sup>. Isaac Newton librum maximi momenti<sup>1</sup> de Physica scribit cui titulus est "*Naturalis Philosophiae Principia Mathematica*".



### "Definitio V.

**vis<sup>2</sup> centripeta est, quā corpora versus<sup>3</sup> punctum aliquod, tanquam ad centrum, undique<sup>4</sup> trahuntur<sup>5</sup>, (...) huius generis<sup>6</sup> est gravitas<sup>7</sup>..."**

1. *maximi momenti* est aliquid magni ponderis. (pondus, ponderis, n. : aliquid pondus habet si non est leve...e.g. folium est leve, et minimum pondus habet, sed mons est gravis et magnum pondus habet.)
2. *vis* (vis) n. fem. : potentia
3. *versus*, praep. : *ad*
4. *undique* : adv. : ex omnibus partibus
5. *trahuntur* (traho, trahere) pass. : feruntur, portantur...
6. *generis* (*genus*, generis) n. : forma
7. *gravitas*, gravitatis : pondus terrae (et omnium corporum)

## VIII. OCTAVUM ITER:

hodie visimus illustrem monachum<sup>1</sup> Italum qui Ecclesiae fundamentum Philosophicum Aristotelicum dat. is enim monachus vocatur Thomas Aquinas et amico suo epistolam scribit de modo studendi<sup>2</sup>...

Thomas Aquinas natus est anno 1224<sup>o</sup> in Castellō Roccaseccā, prope oppidum Aquino, et mortuus est anno 1274<sup>o</sup> in monasteriō Fossanova in Latiō.

### « EPISTOLA<sup>3</sup> DE MODO STUDENDI

quia quaesisti<sup>4</sup> a me ( ... ) tale<sup>5</sup> a me tibi traditur<sup>6</sup> consilium: ut per rivulos<sup>7</sup>, non statim<sup>8</sup> in mare, eligas<sup>9</sup> introire<sup>10</sup>, quia per faciliōra<sup>11</sup> ad difficiliōra oportet<sup>12</sup> devenire<sup>13</sup>. »




1. **monachum** (monachus, -ī, m.) monachus est vir qui in monasteriō vivit, 'orat et laborat'.
2. **de modō studendī**: de formā studii (studium, studii, n.)
3. **epistola** = epistula, -ae, f.
4. **quaesisti** (tertia persōna numeri singularis temporis praeteriti perfecti modi indicativi verbi : quaero, quaerere)
5. **tale** (*talis, tale*, adiect.) : huius modi
6. **traditur** (vox passīva verbi *trado, tradere*) : datur
7. **rivulos** (*rivulus, -i, m.*). rivulus est parvus rivus.
8. **statim** (adv.) : iam
9. **eligas** (2<sup>a</sup> pers. praes. subiunctivi verbi *eligo, eligere*)
10. **introīre** : intrāre
11. **faciliōra** (comparat. adiectivi *facilis, facile*)
12. **oportet** : convenit : bonum est
13. **devenīre** : venīre

## IX. NONUM ITER:

hodie illustrem virum scientificum visimus, qui vocātur Galilaeus Galilei. is enim perspicillum astronomicum habet quō sidera<sup>1</sup> in caelō dilucide<sup>2</sup> inspicere<sup>3</sup> potest.

is natus est annō 1564<sup>o</sup> Pisae, et mortuus est Florentiae annō 1642<sup>o</sup>.



"est enim GALAXIA nihil aliud, quam innumerārum<sup>4</sup> Stellārum coacervātīm<sup>5</sup> consitārum<sup>6</sup> congeries<sup>7</sup>: in quamcumque<sup>8</sup> enim regiōnem illius Perspicillum dirigas, statim<sup>9</sup> Stellārum ingens<sup>10</sup> frequentia<sup>11</sup> sese in conspectum profert<sup>12</sup>, quārum complūres<sup>13</sup> satis magnae ac valde<sup>14</sup> conspicuae<sup>15</sup> videntur; sed exiguārum<sup>16</sup> multitūdo prorsus<sup>17</sup> inexplorābilis est." *Sidereus Nuncius 1609*



Galaxia Andromeda



perspicillum astronomicum

1. *sidera*: (*sidus, sideris*, n.) : Sol, Terra, Venus, Mars, Iuppiter, Saturnus, stellae sunt *sidera*.
2. *dilucide*: (adv.) clarō modō
3. *inspicere*: (inspicio, inspicere) : aspicere : vidēre
4. *innumerārum* (innumerus, -a...adiect. : innumerabilis)
5. *coacervātīm* (adv.) : in coniuncto
6. *consitārum* (consitus, -a, -um, adiect. : positus, collocātus...)
7. *congeries* (congeries, -ei, subst., fem.) : coniunctum
8. *in quamcumque regiōnem* (quō vis)
9. *statim* : iam
10. *ingens, ingentis* (magnus, magna, magnum)
11. *frequentia, -ae* (numerus, -i)
12. *sese in conspectum profert* : vidētur
13. *complūres, -ium* : multae
14. *valde* (multum)
15. *conspicuae* (*conspiciuus, -a, -um* : clarus)
16. *exiguārum* (*exiguus, -a, -um* : parvus)

## X. DECIMUM ITER:

hodie visimus doctam feminam cui nomen est Hrotsvitha. ea enim est poetria Saxonica, et habitat in Germaniā. nata est circa annum 935<sup>um</sup>, mortua autem post annum 973<sup>um</sup>.

sed nunc, sultis<sup>1</sup>, inspicite<sup>2</sup> eam, quae fabulam scaenicam scribit de piis<sup>3</sup> feminis Christianis quae captivae<sup>4</sup> sunt.

«*Dulcitius*:

-**producite<sup>5</sup>, milites, producite, quas tenētis in carcere<sup>6</sup>!**

*Milites*:

-**ecce, quas vocasti<sup>7</sup>!**

*Dulcitius*:

-**papae<sup>8</sup>! quam pulchrae, quam venustae<sup>9</sup>, quam egregiae<sup>10</sup> puellulae<sup>11</sup>!**

*Milites*:

-**perfecte<sup>12</sup> decōrae<sup>13</sup>.**

*Dulcitius*:

-**captus sum illārum specie<sup>14</sup>.**

*Milites*:

-**credibile<sup>15</sup>.**



*Dulcitius:*

-**exaestuo**<sup>16</sup> illas ad mei amōrem trahere<sup>17</sup>.

*Milites:*

-**diffidimus**<sup>18</sup> te praevalere<sup>19</sup>.

*Dulcitius:*

-**quare**<sup>20</sup>?

*Milites:*

-**quia stabiles fide**<sup>21</sup>.

*Dulcitius:*

-**quid, si suadeam**<sup>22</sup> blandimentis<sup>23</sup>?

*Milites:*

-**contempnunt**<sup>24</sup>.

*Dulcitius:*

-**quid, si terream**<sup>25</sup> suppliciis<sup>26</sup>?

*Milites:*

-**parvi pendunt**<sup>27</sup>. »

1. **sultis** : quaeso
2. **inspicite** : vidēte
3. **piis** (*pius, pia...*adiect.) femina pia ea est quae pietatem habet.
4. **captivae** (*captivus, captiva...*adiect.) captiva est femina quae in carcere est sine libertate.
5. **producite** (*prodūco, prodūcere, v.*) : ferte foras...
6. **in carcere** (*carcer, carceris, m.*) : carcer est custodia (cella unde homines, sine libertate, exire non possunt)
7. **vocasti** (*voco, vocāre*) : tertia persōna numeri singularis temporis praeteriti perfecti modi indicativi.
8. **papae** ! (interiectio) : oh !
9. **venustae** (*venustus, -a...*adiect.) : pulchrae, formosae...
10. **egregiae** (*egregius, -a...*adiect.) : quae super ceteras sunt
11. **puellulae** (*puellula, -ae, subst. f.*) : puellae iuvenes et venustae
12. **perfectē** (adv.) : perfectō modō.
13. **decōrae** (*decōrus, -a...* adiect.) : decentes
14. **speciē** (*species, speciēi, subst., f.*) formā...
15. **credibilē** (adv.) : quod credi potest : verum
16. **exaestuo** (*exaestuāre, v.*) : permultum volo aliquid
17. **trahere** (infin.) : inducere
18. **diffidimus** (*diffīdo, diffidere*) : fidem non habēmus.
19. **praevalēre** (*praevaleo, praevalēre*) : posse
20. **quare** ? : cur ?
21. **stabiles fide** : quae multam fidem habent.
22. **suadeam** (*suadeo, suadēre, v.*) : faciam ut credant
23. **blandimentis** (*blandimentum, -ī, n.*) : gestus et verba suavia et dulcia
24. **contempnunt**\* = **contemnunt** (*contemno, contemnere, v.*) contemnere aliquid est negāre aliquid.
25. **terream** (prima persona singularis praesentis subjunctivi verbi *terreo, terrēre* : *timōrem inicere*) -si quis terret aliquem hic permultum timet-
26. **supplicium**, *-ī, subst. n. dolor*
27. **parvi pendunt** : id non curant.

## XI. UNDECIMUM ITER:

hodie visimus philosophum modernum saeculi XVII<sup>i</sup>, qui vocatur Benedictus Spinoza. is enim scribit librum cuius titulus est *Ethica Ordine Geometrico Demonstrata*.

« P A R S P R I M A: DE DEO. DEFINITIONES.

III. Per **s u b s t a n t i a m** intelligo id quod in se est et per se concipitur<sup>1</sup>; hoc est id cuius conceptus<sup>2</sup> non indiget<sup>3</sup> conceptū alterius<sup>4</sup> rei<sup>5</sup>, a quo formari debeat. (...)

VI. Per **D e u m** intelligo<sup>6</sup> ens<sup>7</sup> absolute<sup>8</sup> infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque<sup>9</sup> aeternam et infinitam essentiam exprimit<sup>10</sup>. »



Benedictus natus est anno 1632<sup>o</sup> in urbe Amsterdam,  
mortuus est anno 1677<sup>o</sup> in oppido Den Haag.

1. **concipitur** (*concipio, concipere*) : continetur, intellegitur...
2. **conceptus**, -ūs, m. id quod concipitur, notio
3. **indiget** (*indigeo, indigere*) : caret, necesse habet...
4. **alterius** (*alter, altera, alterum*) : *Iulius duos filios habet. alter est Marcus, alter Quintus.*
5. **rei** (*res, rei, f.*) substantia, aliquid
6. **intelligo** (*intellego, intellegere*) : comprehendo, mente teneo...
7. **ens** (*ens, entis, n.*) *id quod est*
8. **absolute** : adv. : modo absolutō
9. **unumquodque** : omne
10. **exprimit** (*exprimo, exprimere*) : ostendit, monstrat...

## XII. DUODECIMUM ITER :

hodie vehiculum temporis seu *chrononavem* nostram conscendere non est opus<sup>1</sup> nobis, quoniam<sup>2</sup> visimus professorem Americānum qui vocātur Terentius Tunberg. is enim non solum Latīnē legit, sed etiam aliquando scribit, et immo loquitur cum amīcis amicabusque totius orbis terrae<sup>3</sup>.

en<sup>4</sup> nonnulla Terentii verba de Latinitate<sup>5</sup>:

"lingua Latīna non est res tantum antīqua, non est unā cum gente Romānā exstincta<sup>6</sup>. immo potius commūnis illius litterārum Latinārum patrimonii (...) minima pars est antīqua. per aevum<sup>7</sup> non solum medium, quod dicitur, verum etiam recentiora saecula, florēbat<sup>8</sup> lingua Latīna, florēbant litterae<sup>9</sup> Latīnae(...)

Latinitas media et moderna (...) omnium doctōrum, quacumque linguā vernaculā<sup>10</sup> utebantur<sup>11</sup>, vinculum<sup>12</sup> exstābat, quod quamvis<sup>13</sup> nemini vernaculus sermo<sup>14</sup> fuerit<sup>15</sup> Latīnus, litterae Latīnae sicut<sup>16</sup> vix<sup>17</sup> antea florēbant. (...) his enim litteris continētur cultūs civilis Europaei fundamentum."



Terentius Tunberg, annō 2002°

1. *non est opus nobis* : nobis necesse non est
2. *quoniam* : quia, quod...
3. *totius orbis terrae* : totius mundi
4. *en* : ecce
5. *de Latinitate* : de linguā Latīnā (Latinitas, -ātis, subst., f.)
6. *exstincta* : finīta (exstinctus, -a, -um, participium praet. verbi exstinguo, exstinguere)
7. *per aevum* : per aetātem (aevum, -ī, subst., n. est amplum intervallum temporis)
8. *florēbat* : tertia persōna numeri singulāris temporis praeteriti imperfecti modi indicatīvi verbi *floreo*, *florēre*. *florēre* enim significat esse in flōre; vigēre, vigōrem habēre.
9. *litterae Latīnae*: scripta Latīna, litteratūra Latina.
10. *lingua vernacula*: lingua patriae propria, lingua patria, lingua natīva
11. *quacumque linguā vernaculā utebantur*: qui habent hanc aut istam aut illam linguam patriam.
12. *vinculum exstābat* : erat vinculum, erat nexus (vinculum, -ī, subst. n. quod significat nexum)
13. *quamvis nemini vernaculus sermo fuerit Latīnus* : etiam si nemo linguam Latīnam habēbat patriam.
14. *sermo* est lingua. (sermo, sermōnis, subst., m. )
15. *fuerit* est tertia persōna num. singulāris temporis praeteriti perfecti modi subiunctivi sive **coniunctivi** verbi *sum*, *esse*
16. *sicut* : ut ; velut
17. *vix* : quasi non

### XIII. TERTIUM DECIMUM ITER:

iterum in Medium Aevum venīmus et audīmus miram<sup>1</sup> pulchramque narratiōnem de fabulōsā expediōne, vel potius<sup>2</sup>, navigatiōne quam homines Medii Aevi nominant "navigatio Sancti Brendāni". cuius quidem<sup>3</sup> narratiōnis quis sit auctor ignorāmus<sup>4</sup>. fragmentum legēmus excerptum<sup>5</sup> ē codice saeculi XI<sup>i</sup>.

"pater, ascende in navim<sup>6</sup> et navigēmus contra<sup>7</sup> occidentālem plagam<sup>8</sup> ad insulam quae dicitur terra repromissiōnis sanctōrum<sup>9</sup> quam daturus est<sup>10</sup> Deus successoribus nostris in novissimō tempore<sup>11</sup>. (...) "apparuit<sup>12</sup> terra spaciōsa<sup>13</sup> et herbōsa<sup>14</sup> pomiferosaque<sup>15</sup> valde<sup>16</sup>. (...) cepimus<sup>17</sup> ire et perambulāre<sup>18</sup> per XV (...) dies insulam et non potuimus<sup>19</sup> finem ipsius invenire<sup>20</sup>"



1. miram (mirus,-a,-um, adiect.). id quod est mirum etiam est *admirabile*.
2. vel potius : vel *melius*.
3. cuius quidem : *et eius enim...*
4. quis sit auctor ignorāmus : *auctōrem ignorāmus*
5. excerptum (excerptus,-a,-um, adiect., partic.) si carpimus aliquid ex aliquā rē tunc id excerpimus. id enim est excerptum.
6. ascende in navim : *conscende navem*
7. navigēmus contra : *navigēmus ad*
8. occidentālem plagam : *occidentālem terram*. plaga, -ae est substantivum femininum quod significat terram vel regiōnem.
9. terra repromissiōnis sanctōrum : est terra ubi boni et probi homines laeti et beati vivunt in perpetuum.
10. quam datūrus est Deus : quam Deus dare vult : quam Deus dare cogitat.
11. in novissimō tempore : in ultimō tempore
12. apparuit (tertia persōna numeri singularis temporis praeteriti perfecti indicatīvi verbi appareo, apparere). apparere significat *ante oculos esse*.
13. spaciōsa (spatiōsa. *spatiōsus-a-um*, adiect.). terra spaciōsa est *terra lata, ampla, magna...*
14. herbōsa (herbōsus,-a,-um, adiect.): quae herbas habet.
15. pomiferōsa (pomiferōsus,-a,-um, adiect.: *pomifer, pomifera, pomiferum*, adiect.) e.g. arbor pomifera est arbor *quae multa pōma habet*. pōmum est fructus arboris: e.g. mālum est pōmum.
16. valdē: adv., *multum*.
17. cēpimus (coepimus): incepimus, *initium fecimus*.
18. perambulāre est ambulāre per terram.
19. potuimus: prima persōna temporis praeteriti perfecti indicatīvi verbi (*possum, posse*).
20. invenire : *reperire*.

#### XIV. Quartum decimum iter:

hodie nostram *chrononāvem* conscendimus et iter facimus ad annum 200<sup>um</sup> ante Christum natum. visimus enim comoediographum qui vocātur Plautus. is enim natus est in Umbriā circa annum 250<sup>um</sup> a.C., mortem obiit circa annum 184<sup>um</sup> a.C.n.

Plautus, secundum exemplar Graecum, scribit lepidam fabulam scaenicam, cuius titulus est *Miles Gloriosus*. ecce initium fabulae:



"Pyrgopolinices : - **curāte**<sup>1</sup> ut splendor meō sit clupeō<sup>2</sup> clarior quam solis radii (...) ut, ubi usus veniat<sup>3</sup>, (...) **consertā manū**<sup>4</sup>, **praestringat**<sup>5</sup> oculōrum aciem in **aciē**<sup>6</sup> hostibus. (...) sed ubi Artotrōgus hic est?

Artotrogus : - **stat propter**<sup>7</sup> virum fortem atque fortunātum et formā regiā; (...) **Mars haud ausit**<sup>8</sup> dicere neque **aequiperāre**<sup>9</sup> suas virtūtes ad tuas.

Pyrgopolinices : - **quemne ego servāvi in campis Curculioniis, ubi Bumbomachides Clutomistaridysarchides erat imperātor summus, Neptūni nepos?**

Artotrogus : - **memini. nempe**<sup>10</sup> illum dicis cum armis aureis, cuius tu **legiōnes difflavisti**<sup>11</sup> spiritū, quasi ventus folia (...).

Pyrgopolinices : - **istuc quidem edepol nihil est. (...)**"

1. **curāte**: secunda persōna num. plur. imperatīvī praesentis (curo, curāre) curam habēte ; cavēte
2. **clupeo** (clupeus sive clipeus, -ī: parvum scūtum rotundum)
3. **ubi usus veniat**: cum opus erit
4. **consertā manū**: exercitū parātō
5. **praestringat oculōrum aciem...hostibus**: caecos faciat hostes (praestringo,-ere fere significat *infirmum facere aliquid, id est, hebetāre, obtundere*)
6. **acies**, -ēi, fem., significāre potest vim oculi, aut proelium, id est, pugna.
7. **propter virum**: apud virum; prope virum
8. **ausit**: tertia persōna num. sing. temporis praeteriti perfecti indicat. audeo, audēre: *non timēre*
9. **aequiperāre**: aequāre; aequas facere
10. **nempe**: adv., certē
11. **difflavisti**: tertia persōna num. sing. temporis praeteriti perfecti indicat. difflo, diffllāre: flando separāre (*flāre est magnā vī aerem per ōs emittere*)

XV. DECIMUM QUINTUM ITER:

hodie visimus ingeniōsum poetam et musicum Morāvum qui vocātur Ianus Novák (1921°-1984°).

nunc sumus annō 1975°. sed quid agit poeta? is enim lepidissimum carmen canit quod inscribitur<sup>1</sup>:

Meditatio canīna



Bau bau  
sum canis  
quid stupes<sup>2</sup>?  
quin<sup>3</sup> tibi dico: sum canis  
habeo caudam et aures demissas<sup>4</sup>  
etiam latro  
sum canis sed haudquaquam<sup>5</sup> latro



ne me male intellexeris<sup>6</sup>:  
ego quidem latro sed non sum latro  
sum canis  
latrones non latrant  
sunt homines et homines latrare non solent  
homines non latrant sed homines sunt latrones  
et utuntur latrīnis<sup>7</sup>!  
minime ego  
homines utuntur latrinis et ferro  
ego milliar<sup>8</sup> praefero et ossa  
quidni<sup>9</sup> praeferam?  
non sum homo  
sum canis  
et latro  
bau bau

1. **qui inscribitur** : *cujus titulus est...*
2. **stupes** (stupeo, stupēre) : *mirāris* (miror, mirāri)
3. **quin** : *immo*
4. **aures demissae** sunt aures quae pendent ad solum.
5. **haudquaquam** : *nullo modo*
6. **intellexeris** : tempore praeterito perfecto (*intelligere est cognoscere rem*; cogitatione aliquid comprehendere)
7. **latrīna**, -ae, fem.; dicitur de loco ubi homines lavantur, id est, de balneo; etiam dicitur de loco ubi homines mingunt aut cacant.
8. **milliarium**, -i, n. est parva columna ad marginem viae posita in qua distantia indicātur.
9. **quidni** : cur non ? *quomodo non... ?*

## XVI. DECIMUM SEXTUM ITER:

etiam per multa saecula, in Europaeō cultū civīlī<sup>1</sup>, Mathematicārum perīti homines Latīnē scribere solēbant. documento<sup>2</sup> enim est, ut exemplum afferam<sup>3</sup>, hic textus quem scrībit egregius vir Mathematicārum perītus, nomine Gaspar Schott (1608-1666). inspicite<sup>4</sup>, cari discipuli, hunc sapientem virum Latīne scribentem de novis rationibus Latīnē nominandi numeros maximos...

**"quidam recentiores<sup>5</sup>, ne toties<sup>6</sup> reiterāre<sup>7</sup> cogantur<sup>8</sup> vocem<sup>9</sup> milliōnum<sup>10</sup>, vocant milliōnes milliōnum bimilliōnes, & milliōnes milliōnum milliōnum vocant trimilliōnes..."**

1. in Europaeo cultu civīlī : in "civilizatione" Europaea
2. documento est : exemplō est
3. ut exemplum afferam : exempli gratiā : verbī gratiā
4. inspicite : vidēte
5. quidam recentiores : aliqui homines recentioris temporis.
6. toties : adv. numer., *tot temporibus...multis temporibus...*
7. reiterāre : iterāre : *repetere*, id est: aliquid dicere semel, bis, ter, quater... aut pluries...
8. cogantur : obligati sint
9. vocem : vox, vocis, f. *verbum, vocabulum*
10. milliōnum : millio (vel potius milio), -ōnis : milies singula milia.

0	1	2	3	4
⊖	•	••	•••	••••
5	6	7	8	9
⊖	•	••	•••	••••
10	11	12	13	14
⊖	⊖	•	••	•••
15	16	17	18	19
⊖	⊖	⊖	•	••

paulo postea, Gaspar scrībit de additiōne sive summā:

**"Additio, Graecē<sup>11</sup> πρόθεσις est, duōrum, pluriumve<sup>12</sup> numerōrum ejusdem denominatiōnis<sup>13</sup> in unam summam collectio. (...) numerī quī in unam summam colligi<sup>14</sup> debent, vocantur Addendi & Dati (...) numerus, qui ex additiōne resultat, vocātur Summa..."**

3+2=5

11. **Graecē** : linguā Graecā
12. **plurimumve**: vel plurium (adject. *plures, plura* : plus quam unum...)
13. **eiusdem denominatiōnis** : qui eandem denominatiōnem habent : qui eōdem termino vocantur
14. **colligi**: *colligo, colligere* significat eligere aliquid et id ponere in conjuncto.

## XVII. DECIMUM SEPTIMUM ITER:

hodie visimus Ludovicum Holberg, qui est scriptor rerum gestārum<sup>1</sup> et poeta Danus<sup>2</sup>, natus annō 1684<sup>o</sup> in oppidō Bergen, obiit in oppidō Kopenhagen annō 1754<sup>o</sup>.



nunc Ludovicus scribit pulchram fabulam quae est narratio de quōdam mirabili itinere subterraneō:

"Post bidui<sup>3</sup> iter in terram liberam delatus sum<sup>4</sup>. Singuli<sup>5</sup> huius terrae incolae<sup>6</sup> sui iuris<sup>7</sup> sunt, et constant e familiis segregibus<sup>8</sup>, nullis neque legibus neque imperiis subiectis<sup>9</sup>, speciem<sup>10</sup> tamen societatis servant, et in re commūnī<sup>11</sup> consulunt<sup>11</sup> seniōres<sup>11</sup>, qui ad pacem ac concordiam perpetuo<sup>12</sup> hortantur<sup>13</sup> et de primario isto naturae praecepto<sup>14</sup>, scilicet<sup>15</sup> quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, admonent<sup>16</sup>. Cunctis<sup>17</sup> urbium ac vicorum portis caelata<sup>18</sup> stabat Libertatis effigies<sup>19</sup>, vincula catenasque calcans<sup>20</sup>, cum hoc epigrammate<sup>21</sup>:

### AUREA LIBERTAS"

1. **scriptor rerum gestārum** est qui historiam tractat.
2. **Danus** est ex Dania (Dinamarca, Denmark...) oriundus.
3. **bidui**: (biduum, ī, n. spatium duōrum diērum)
4. **delātus sum**: tempus praeteritum perfectum vocis passivae verbi *defero, deferre*, quod, inter alia, significat *vehere*. itaque, delātus sum : vectus sum.
5. **singuli**...incolae<sup>4</sup> huius terrae: unusquisque incola<sup>4</sup> huius terrae.
6. **incola** est qui habitat in aliquā regiōne, in aliquā terrā.
7. **sui iuris** est homo qui sibi ipse imperat, qui aliis hominibus non paret tamquam servus.
8. et constant e familiis **segregibus**: et habent familias separātas.
9. **subiectus** legibus et imperio est is qui paret legibus et imperiō.
10. **speciem** (species, speciēi : imago; aspectus)
11. **in rē commūnī consulunt seniōres**: et de re publicā interrogant eos qui natū majōres sunt



12. **perpetuō**: adv. semper
13. **hortantur**: monent; suadent; consilium dant.
14. **praeceptō** (praeceptum, -i, n. norma, lex...)
15. **scilicet**: hoc est...
16. **admonēt** (admoneo, admonēre: suadēre; hortāri...); admonent: consilium dant.
17. **cunctīs** urbium ac vicōrum **portīs**: in omnibus portīs (porta est janua) quae sunt in urbibus et in vicīs. (vicus est pagus, id est oppidum minimum; locus ubi pauca domicilia sunt.)
18. **caelāta sunt**: *caelāre* est imaginem aliquam aut litteras caelō, id est, scalprō incidere vel scribere, in lapide aut in aliā superficiē obdurātā... quid sit scalprum, fortasse requiras...bene, scalprum est instrumentum quō scribere possumus, in lapide aut in aliā superficiē obdurātā...
19. **effigies**, -ēi: imago
20. **calcāns**: participium verbi calcāre : calce premere (calx est pars posterior pedis).
21. **cum hoc epigrammate**: cum hac inscriptiōne

## XVIII. DUODEVICESIMUM ITER:

redeamus<sup>1</sup> nunc ad antiqua tempora et visāmus<sup>2</sup> scriptōrem Romānum qui rettulit<sup>3</sup> de rebus gestis. eius nomen est Sallustius, et nunc in eō est ut<sup>4</sup> describat verba quae sunt memoratū digna<sup>5</sup>, propterea quod<sup>6</sup> libertātem laudent<sup>7</sup>:

**"deos hominesque testāmur<sup>8</sup>, imperātor, nos arma neque contra patriam cepisse<sup>9</sup> neque quo<sup>10</sup> periculum aliis facerēmus, sed uti<sup>11</sup> corpora nostra ab iniuriā<sup>12</sup> tuta<sup>13</sup> forent<sup>14</sup>, qui miseri, egentes,<sup>15</sup> uiolentiā<sup>16</sup> atque crudelitāte faeneratōrum<sup>17</sup>, plerique patriā, sed omnes famā atque fortūnīs expertes<sup>18</sup> sumus." (...)**



**"at<sup>19</sup> nos non imperium neque diuitias<sup>20</sup> petimus, quarum rerum causā bella atque certamina<sup>21</sup> omnia inter mortalīs<sup>22</sup> sunt, sed libertātem, quam nemo<sup>23</sup> bonus nisi cum animā simul amittit<sup>24</sup>."**

1. **redeāmus**: modus coniunctīvus sive subiunctīvus verbi temporālis *redire*, quod sibi vult "rursus ire", "retro ire", "iterum ire"...
2. **visāmus**: prima persōna numeri pluralis modī coniunctīvi sive subiunctīvi verbi temporālis quod est *visere*, quod significat: "ad aliquem ire et eum vidēre..."
3. **rettulit**: tertia persōna numeri singularis verbi anomali sive "irregularis", quod est *referre*, quod quidem verbum hoc locō significat "dicere", "scribere", "narrāre"...
4. **in eo est ut**, haec locutio significat aliquid facere eō ipsō tempore, de quō agitur. itaque, **in eo est ut describat verba** significat "nunc ipsum verba describit".
5. **memoratu digna**: "memoratu" est modus supīnus verbi "memorāre". locutio igitur **verba memoratu digna** significat *dignum esse memorāre ea verba*, id est, *operae pretium esse ea verba memorāre*.
6. **propterea quod**: quia, quoniam ...
7. **laudent**: tertia persōna numerō plurali modō coniunctīvō (subiunctīvō) verbi *laudāre* quod significat *bene aestimāre aliquid*, hoc est, iudicāre aliquid bonum vel optimum esse.
8. **deos hominesque testāmur**: haec locutio significat: *et deos et homines testes facimus*, hoc est, *non solum dei, sed etiam homines testimonium dicere possunt de iis quae facimus*.

9. **cepisse:** verbum: *capio, -is, capere, cepi, captum*. modus infinitivus praeteritus. "nos arma neque contra patriam cepisse...": "nos non cepimus arma neque contra patriam..."
10. **neque quo periculum aliis faceremus:** haec omnia verba in illō contextū significant: "hoc verum non est: *nos arma capimus et propter id ipsum alii homines in periculo versantur!*". quo periculum aliis faceremus dici potest *ut periculum aliis hominibus faceremus*, hoc est, *eā mente, sive eō propositō ut periculum aliis hominibus faceremus*.
11. **uti: ut :** *eō fine, eā mente, eō propositō...* (vide infra)
12. **uti corpora nostra ab iniuriā tuta forent :** haec omnia verba illō locō significant: "*nos arma capimus et hoc propositō, hoc modo, corpora nostra iniuriam non accipient.*" iniuria est malum quod iniustō modō accipit quispiam (*sive aliquis*).
13. **tuta:** adiectivum neutrum plurāle. adiectivum est *tutus, tuta, tutum*, quod significat *secūrus, secūra, secūrum*, hoc est, liberum esse ā periculō sive discrimine.
14. **forent: essent.**
15. **egentes:** qui egent, hoc est, qui bona non habent..., vel qui pauperes sunt...
16. **violentia: propter violentiam...**
17. **faenerātor, -ōris, subst. masc.** est qui magnum lucrum facere cupit, et ob eam causam pecuniam aliis hominibus commodat -hoc est, in aliquod tempus dat- quam quidem pecuniam postea multiplicatam accipit!
18. **expers, expertis, adiect.:** *expers* est is qui partem non capit ullius rei.
19. **at:** sed; sed tamen...
20. **divitiae,** divitiarum: pecuniae, gazas, amplissima bona...
21. **certāmen, -inis: subst. neutr. = proelium, pugna, contentio...**
22. **mortālis** casus accusativus plurālis adiectivi quod est *mortālis, -e*. hoc loco significat *homines*.
23. **nemo** = nullus homo
24. **anima...** hoc loco significat vitam...

## XIX. UNDEVICESIMUM ITER:

hac vice<sup>1</sup> chrononave vecti sumus<sup>2</sup> ad quendam<sup>3</sup> eruditum<sup>4</sup> virum, cui nomen est Johannes Guilielmus Nöbling. is enim anno 1732<sup>o</sup> dissertatiōnem<sup>5</sup> scripsit verē miram de vampyris...

"Terrarum orbem<sup>6</sup> pervagatur<sup>7</sup> fama, homines quosdam mortuos, vivos laesisse<sup>8</sup>, & trucidasse<sup>9</sup>, sanguinis exsuctiōne<sup>10</sup>. (...)

quae de vampyris circumfertur<sup>11</sup> relatio<sup>12</sup>, hujus est tenōris<sup>13</sup>: ex Serviā fama<sup>14</sup> exiit, illic locōrum homines jugulāri<sup>15</sup> a quibusdam defunctis<sup>16</sup>." (...)




"...ne<sup>17</sup> alii eundem in se ab iis<sup>18</sup> impetum<sup>19</sup> experirentur<sup>20</sup>, locōrum incolas, consilio inito<sup>21</sup>, demortuōrum suspectōrum<sup>22</sup> supplicium sumpsisse<sup>23</sup>, ferunt<sup>17</sup>. in effosso<sup>24</sup> autem ejusmodi cadavere, ne vestigium quidem putredinis<sup>25</sup>, vel corruptiōnis inventum<sup>26</sup> fuisse, sanguinem fere floridum<sup>27</sup> ex ore, naribus, auribus & oculis effluxisse...palōque cor ejus trajecisse, quo facto vampyrum ingentem edidisse<sup>28</sup> clamōrem, sanguinemque effudisse copiosum<sup>29</sup>, ferunt<sup>24</sup>; tum statim cadaver vampyri igni immisum<sup>31</sup>, in cineres convertisse<sup>32</sup>, quos sepulchro<sup>33</sup> commiserint."

1. *hac vice* : hac occasione
2. *vecti sumus*. 1<sup>a</sup> pers. plur. praeter. perf. indicat. voce passivā verbi *veho, vehere*, quod est *ferre, ducere, conducere*...ergo, "vecti sumus chrononave": *chrononave ducti sumus*
3. *ad quendam*: ad aliquem, ad quempiam...
4. *eruditus vir* est vir doctus.
5. *dissertatio*, -ōnis, subst. fem., commentatio erudita quae exhibētur coram praeceptōribus sive magistris qui doctrinam eius iudicāre debent.
6. *terrārum orbis* est mundus sive terra.
7. pervagor, *pervagāri*, est vagāri sive errāre per multa loca. "**fama pervagatur**", hoc est **rumor fertur**...
8. *laesisse* est infinitivum perfectum verbi *laedo, laedere*, quod significat nocēre, vexāre, iniuriam ferre, malō afficere quemquam...
9. *trucidasse* est infinitivum perfectum verbi *trucido, trucidāre*, quod est atrociter necāre sive interficere seu mortem ferre...
10. *sanguinis exsuctiōne*, hoc est plenā suctiōne sanguinis, sugendo sanguine...vampyri enim sanguinem sugere dicuntur...
11. circumfertur, hoc est huc illuc ferri, duci...
12. *relatio* est narratio
13. *hujus est tenōris*: haec est (relatio), huius formae est...
14. *fama*: rumor
15. *jugulāri* est infinitivus passivus verbi *iugulō, iugulāre* est aliquem interficere sive necāre. iugulum est pars colli anterior, et iugulāre est alicui mortem inferre secando iugulum.
16. *defunctis*, est casus ablativus pluralis participii *defunctus, -a, -um*.
17. *ne alii eundem in se ab iis impetum experirentur* : ferunt, hoc est, dicunt haec: hoc modo vampyri alios non petent, si incolae locōrum, constituerint vel decreverint punire eos mortuōs quōs incolae locōrum vampyrōs esse suspicantur.
18. *ab iis*, a vampyris
19. *impetum* sive aggressiōnem hostilem
20. *experirentur*
21. *consiliō inītō*, consiliō captō, hoc est, rē constitutā...
22. *demortuōrum suspectōrum*, quōs incolae locōrum vampyrōs esse suspicantur...
23. *supplicium sumpsisse, [sumpsisse]* hoc est, punivisse eos
24. *effosso*...exhumātō...
25. *putredo*, -inis, sust., femin. putredo est natura alicuius rei quae corrumpitur et putrida est.
26. *inventum fuisse*, hoc est, nullum vestigium corruptiōnis reppererunt
27. *sanguinem floridum* effluxisse, hoc est, sanguinem vivum...
28. *clamōrem edere* : clamōrem proferre : clamāre.
29. *copiōsus -a -um*, adi., abundans.
30. *ferunt*: dicunt
31. *cadaver igni immisum*: cadaver in ignem iniectum. immittere est inicere.
32. *convertisse in cineres*: cineres evadere sive cineres fieri
33. *sepulchro* : sepulcro.

## XX. VICESIMUM ITER:

Cicero (106-43 a.C.)



nunc autem ad antīqua tempora iter rursus facimus et Marcum Tullium Cicerōnem visimus qui non iam amplius<sup>1</sup> curat<sup>2</sup> de negotiis publicis, sed tranquillus in villā otium litterātum agit<sup>3</sup>, et scribit dialogos quos in praedio<sup>4</sup> Tusculāno habuit cum quodam amīco de quaestionibus ad philosophiam pertinentibus. hoc opus philosophicum inscribitur<sup>5</sup> *Tusculanae Disputationes*, et in primo libro sermo est<sup>6</sup> de morte aequo animo ferendā<sup>7</sup>. namque post mortem quid fit de animo sive de ea re quam nostris temporibus nomināmus 'mentem'? legāmus igitur quae Marcus Tullius scribit:

"nam si cor aut sanguis aut cerebrum est animus, certe, quoniam<sup>8</sup> est corpus, interibit<sup>9</sup> cum reliquo corpore<sup>10</sup>; si anima<sup>11</sup> est, fortasse dissipabitur<sup>12</sup>; si ignis, extinguetur<sup>13</sup>; si est Aristoxeni harmonia<sup>14</sup>, dissolvētur<sup>15</sup>. quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? his sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter<sup>16</sup> enim cum vitā sensus amittitur; non sentientis autem nihil est ullam in partem quod intersit<sup>17</sup>. reliquorum<sup>18</sup> sententiae spem adferunt, si te hoc forte<sup>19</sup> delectat, posse animos, cum e corporibus excesserint<sup>20</sup>, in caelum quasi in domicilium suum pervenire."

1. *amplius*: magis
2. *qui non iam amplius curat de negotiis publicis*: qui non iam *vir politicus* est.
3. *otium litterātum agit*: litteras colit in tempore otii.
4. *praedio* (praedium, -ī, n., fundus, villa rustica)
5. *inscribitur*: intitulātur. (opus inscribitur: operis titulus est.)
6. *sermo est*: in primo libro loquuntur de morte...
7. *de morte aequo animo ferenda*: de morte quam sapienter debemus tolerāre.
8. *quoniam*: quia
9. *interibit*: peribit, moriētur
10. *cum reliquo corpore*: cum corpore quod restat
11. *anima*: aer
12. *dissipābitur*: e corpore exibat et cum reliquo aere commiscebitur.
13. si ignis *extinguitur* non iam lucet neque ardet.
14. *Aristoxeni harmonia*: harmonia, ex qua Aristoxenus animum constāre dixit.
15. *dissolvētur*: dissipābitur. si harmonia dissolvitur nulla est iam compositio membrōrum.
16. *pariter*: eodem modo, eādē ratiōne; similiter; aequaliter...
17. *non sentientis autem nihil est ullam in partem quod intersit*, is qui nihil iam sentit, de nullā rē curāre potest. nihil enim eum afficere potest.
18. *reliquorum*: ceterōrum philosophōrum
19. *forte*: fortasse
20. *cum e corporibus excesserint*: cum corpora reliquissent.